



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

Art. V. Quæ sit materia & forma hujus Sacramenti?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

et elevatus ad rationem Sacramenti; ministri verò contractus, non sunt alij quam ipsi contrahentes, ut supra ostensum est.

88 Respondeo secundò, data Majori, negando Minorem, quoad secundam partem: nam verba illa quibus utuntur conjuges ad consensum suum manifestandum, duobus modis spectari possunt: Primò secundum se, & sic non sunt aliquid sacramentum; Secundò, quatenus eis utuntur Christiani ad significandum ex intentione Christi & Ecclesie, non solum unionem corporum, sed etiam animorum, ad similitudinem conjunctionis Christi cum Ecclesia; quo sensu verba sacra sunt, cum ipsos conjuges sanctificent; & licet à pluribus pronuntientur, qui nihil sacramentum se facere cogitant, facis tamen est, ut illud facere intendat quod Christus instituit, quemadmodum de forma baptismi, ab infideli prolata, nihil tamen sacramentum cogitante, dici solet.

89 Ad confirmationem, nego sequelam Majoris, licet enim matrimonium contrahentes in mortali, peccent mortaliter, ut recipientes illud Sacramentum, non tamen ut ipsius ministri, quia non sunt ministri solemnitate & officii, sed tantum necessitatis; sicut laicus qui conscientiam peccati mortalis habens, baptizat parvulum in extrema necessitate constitutum, non peccat mortaliter, ut docent communiter Theologi.

## ARTICULUS V.

## Quæ sit materia &amp; forma huius Sacramenti?

Ex dictis articulo præcedenti confutata manet utraq; sententia Cani & Catharini, quoad materiam & formam Sacramenti matrimonij, quorum uterque materiam quidem in actibus conjugum, formam verò ille in verbis Sacerdotis eos conjungentis, hic in verbis à Deo semel prolatis, & scripto mandatis, collocat. In hoc articulo, in primis varias aliorum Doctorum sententias referemus ac refellimus, deinde veriorem seu probabiliorem eligemus. Unde sit

## §. I.

Referuntur ac refelluntur variae Theologorum sententiae.

90 De materia & forma Sacramenti matrimonij non parva est dissensio inter Doctores. In primis enim aliqui censent, materiam contractus & Sacramenti matrimonij, esse mutuum conjugum consensum; formam verò esse signa exteriora, consensum inter se exprimentia, quæ regulariter solent esse verba. Ita Glossa in cap. Epi, de sponsalibus, quam ex Canonistis sequuntur Rebellus, Navarrus, & Covarruvias; ex Theologis verò Capreolus, Deza, & Martinonius. Alij e converso existimant, quod consensus interni contrahentium sunt forma; verba autem eosensum illum exprimentia sunt materia, quia consensus perficit verba, quandoquidem sine consensu verba nihil efficerent. Sic Joannes Major in 4. dist. 26. qu. 1.

91 Sed hæc duæ sententiæ videntur à veritate alienæ, nam materia saltem totalis Sacramenti, & forma illius, debent esse per se sensibiles, ut patet inductione in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, &c. Sed utriusque contrahentis consensus interior, non est per se sensibilis, sed tan-

Tom. V.

tum ratione expressionis exterioris: Ergo præcise sumptus, nec materia, nec forma huius Sacramenti esse potest. Dixi materia saltem totalis, quia non est inconveniens quod materia partialis Sacramenti sit insensibilis, ac fiat sensibilis per aliam materiam partialem; ut in Sacramento Pœnitentiæ interior attritio vel contritio, quæ est materia partialis, fit sensibilis per confessionem.

Confirmatur: Materia & forma Sacramentorum debent se habere per modum determinabilis & determinantis, quia debent proportionari materiæ & formæ compositorum physicorum, per quorum analogiam assignantur: Sed in Sacramento Matrimonij, nec consensus determinat verba, cum hæc sint antecederet determinata ad significandum consensum; nec verba consensum, quia licet illum reddant sensibilem, non tamen determinant quoad significationem; ex se enim sic consensus est determinatus ad hoc & non aliud objectum exprimentum: Ergo in Sacramento Matrimonij consensus & verba, non se habent ad invicem per modum materiæ & formæ. Unde quiasserunt, ipsos contrahentes, sive eorum corpora quæ sibi invicem tradunt, esse materiam huius Sacramenti; verba autem contrahentium, vel eorum consensus per verba explicatos, esse formam. Hanc sententiam ex Antiquis docet Paludanus, & probabilem censet Capreolus; ex Recentioribus verò Vazquez, Mœratus, & Pontius ei adherent.

Verum, si hæc opinio tantum intenderet, corpora conjugum esse materiam remotam contractus Matrimonij, & circa quam velut objectum versatur, vera esset; sed quia intendit esse totam materiam, adeoque materiam proximam, ex qua conit & componitur Sacramentum Matrimonij, falsa est. Unde sic arguo: Materia proxima Sacramenti dicitur illa ex qua componitur & perficitur Sacramentum: Sed Matrimonium non componitur & perficitur ex ipsis contrahentibus; est enim, etiam ut Sacramentum, quidam contractus, quo contrahentes, seipsos sive sua corpora sibi invicem tradunt; in contractibus autem id quod traditur, non est materia proxima ex qua constant intrinsece; alioquin contractus de domo, de agro, de equo, constaret intrinsece ex ipsa domo, agro vel equo, quod est absurdum, & contra definitionem contractus; nullus enim Jurisconsultus hæcenus contractum definit per res circa quas versatur, sed per mutuum contrahentium consensum, verbo, alijsve signis expressum, vel per mutuum contrahentium obligationem, ut per proprietatem immediate consequentem naturam contractus, ut patet ex Ulpiano L. Labeo 9. ff. de Verb. signif. Quod ergo præcipue in hac sententia displicet, est quod materiam remotam & circa quam Sacramenti Matrimonij, confundat cum materia proxima & ex qua.

Addo quod Theologi communiter docent, omnia Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistere in actione transeunte: Sed hoc esset falsum, si materia proxima Matrimonij essent ipsi contrahentes, vel eorum corpora, matrimonium enim consisteret, saltem ex parte, in re permanenti: Ergo, &c. Item Theologi dicunt, illud esse materiam proximam Sacramenti, pro quo ipsum Sacramentum supponit, ablutio enim v.g. pro qua supponit Baptismus, est materia proxi-

Yyy

ma

ma ipsius: Sed Matrimonij Sacramentum non A  
supponit pro contrahentibus: Ergo contrahen-  
tes non sunt materia proxima illius. Minor pro-  
batur: Subjectum receptivum Sacramenti,  
non est id pro quo supponit ipsum Sacramen-  
tum, alias enim baptisumus supponeret pro ipso  
fuficiente: Sed uterque contrahentium est sub-  
jectum receptivum Sacramenti matrimonij: Er-  
go Sacramentum matrimonij non supponit pro  
contrahentibus.

95 Alij demum existimant, verba à priori con-  
trahente prolata, esse materiam huius Sacra-  
menti, prolata autem à posteriori, esse formam;  
sicut in numero ultima unitas est forma præce-  
dentium, quia per eam determinantur præce-  
dentes ad certam numeri speciem. Ita Richar-  
dus, & Henriquez.

96 Sed hæc etiam sententia displicet, materia  
enim huius Sacramenti non debet esse vaga, &  
in contrahentium potestate sic posita, ut fieri  
possit forma, sed certa & invariabilis: At si con-  
sisteret in verbis illis solis quæ prior contrahens  
profert, non esset certa & invariabilis, sed vaga,  
& in contrahentium potestate esset, ex materia  
facere formam, & contra; quando quidem ut-  
terque potest facere quod verba sua quibus ex-  
primit suum consensum, prius vel non prius pro-  
ferantur, quam verba alterius: Ergo materia hu-  
ius Sacramenti, non sunt verba à priori contra-  
hente prolata.

97 Confirmatur: Etiam si accideret quod contra-  
hentes simul tempore verbis aut nutibus suum  
consensum exprimerent, nihilominus esset ve-  
rum Sacramentum matrimonij, & tamen nulla  
essent verba priora pro materia: Ergo &c.

## §. II.

*Verior seu probabilior sententia declaratur.*

98 Quinta igitur & probabilior sententia do-  
cet, eadem verba seu signa conjugum quib-  
us mutuum consensum exprimunt, esse sibi in-  
vicem materiam & formam, secundum diversas  
considerationes, nam quatenus per ea mutuo  
sua corpora in conjugium sibi invicem tradunt,  
habent rationem materiam; in quantum vero per  
ea corporum traditionem sibi mutuo factam ac-  
ceptant, habent rationem formam. Hanc senten-  
tiam sic explicatam docent ex Thomistis Domi-  
nicus Soto, & Petrus de Ledesma; ex tra-  
neis vero Suarez, Bellarminus, Sanchez, Co-  
ninck, Amicus, & alij.

99 Ratio à priori illius est, quia in contractibus  
civilibus, traditio ut sensibili signo facta, habet  
rationem materiam; acceptatio vero verbis ex-  
pressa, habet rationem formam: Sed matrimo-  
nium in ratione contractus non differt à reli-  
quis contractibus civilibus, neque, ut Sacramen-  
tum est, diversam habet materiam aut formam  
à seipso ut contractus est: Ergo in matrimonio  
eadem verba vel signa conjugum, mutuum con-  
sensum exprimentia, quatenus sunt traditio, ha-  
bent rationem materiam; prout vero sunt accepta-  
tio, habent rationem formam. Minor est certa,  
Major vero sic ostenditur. Illud habet rationem  
materiam, quod se habet ut determinabile; quod  
vero est determinativum, habet rationem formam:  
Sed traditio habet rationem determinabili-  
lis, completurque & perficitur per acceptatio-  
nem, quæ se habet per modum determinatis: Er-  
go in contractibus civilibus, traditio ut signo  
sensibili facta, habet rationem materiam, accepta-  
tio vero rationem formam.

Dices primo, non semper traditio ut quilibet  
forme & determinabile, præcedit & inclinat con-  
tractum, sed aliquando subsequitur, completurque  
perficit illum, ut constat in contractu donati-  
onis, in quo potest acceptatio præcedere; potest  
enim quis prius velle habere donum æquum ab alio  
quo, eumque petere, & alter postea donum  
vel promittere, atque ita complere contractum  
donationis aut stipulationis perfectæ, præter  
parag. si quis si de verborum obligationibus  
go in contractibus civilibus traditio non habet  
semper rationem materiam.

Respondeo primo, in contractibus non atten-  
di quid per accidens, & in uno vel altero casu  
fiat, sed quid regulariter & per se; & quia regu-  
lariter & per se traditio præcedit & inclinat con-  
tractum, acceptatio vero subsequitur, determi-  
nat, & perficit illum, recte illa ponitur ut mat-  
ria, hæc ut forma contractus.

Respondeo secundo, quod etiam in eo casu  
quo acceptatio tempore præcedit traditionem,  
traditio habet rationem materiam, & acceptatio  
rationem formam: completurque & perficitur con-  
tractum; nam licet acceptatio duratione sit pri-  
or traditione, causalitate tamen est posterior,  
quia in instanti quo exprimitur consensus tradi-  
tionis à donante, acceptatio à donatario prius  
tempore facta, ut contractum perficiat & com-  
pleat, debet per modum actus moraliter peris-  
verantis, ratificare traditionem sibi à donatore  
factam, & consequenter supponere illam prius  
naturā ut determinabilem, ut recte observavit  
Amicus.

Dices secundo, Ex Florentino in Decreto  
Eugenij, omnia Sacramenta novæ legis  
periciuntur, rebus tanquam materia, verbis  
tanquam forma, & personā ministri concipientis  
Sacramentum, cum intentione faciendi quod  
facit Ecclesia: Ergo verba seu nutus quibus con-  
juges mutuum consensum exprimunt, non pos-  
sunt esse sibi invicem materia & forma in Sa-  
cramento matrimonij.

Confirmatur: In quolibet Sacramento mat-  
ria, forma, & minister, realiter debent distingui.  
Sed si verba seu nutus conjugum sibi invicem  
materia & forma, tria illa non distinguuntur  
realiter, consensus enim unius & ejusdem par-  
tis, ut per verba vel nutus expressus, rationem for-  
mæ & materiam habebit, secundum diversas con-  
siderationes; & præterea cum ipsi conjuges sint  
ministri huius Sacramenti, si ipsorum traditio  
habeat rationem materiam, causa materialis &  
efficiens coincident in eandem personam, quod  
videtur absurdum: Ergo &c.

Ad instantiam respondet, eo, quod quando Flo-  
rentinus ait, omnia Sacramenta novæ legis con-  
stare ex rebus & verbis, non ita strictè accipi de-  
bent nomina rerum & verborum, ut neque res  
pro verbis, neque verba pro rebus interduci ac-  
cipi possint: sed nomine rerum intelligenda sunt  
ea omnia quæ sunt vice earum, id est quæ ita ad-  
hibentur in Sacramentis loco rerum, ut licet  
ipsæ, per alia signa determinentur ad significan-  
dum; & similiter nomine verborum intelligi de-  
bent omnia quæ loco verborum adhiberi solent  
ad aliquid significandum, ut litteræ, nutus, & li-  
milia, quæ rerum significationem determinare  
solent: cum enim materia & forma in Sacramen-  
tis assignentur per analogiam ad materiam &  
formam physicam, illud assignatur ut materia,  
quodcumque tandem sit, quod imitatur mat-  
teriam

riam physicam; illud verò habet rationem formæ, quod formæ physicæ assimilatur. Sicut ergo in Sacramento penitentia, quia confessio peccatorum determinatur per absolutionem penitentis, ad significandum remissionem peccatorum, verba penitentis per comparationem ad verba Sacerdotis, appellantur res Sacramenti penitentia; ita similiter quia in Sacramento matrimonij, verbatim conjugis quibus suum corpus alteri tradit, determinatur per verba alterius, talem traditionem acceptantis, & e converso, hinc fit quod verba seu nutus quibus conjuges mutuo suum consensum exprimunt, sunt sibi invicem materia & forma, secundum diversos respectus supra explicatos.

Ad confirmationem nego Majorem, licet enim Florentinum dicat, omnia novæ legis Sacramenta perfici materia, formâ & intentione ministris, non tamen asserit tria illa esse necessario realiter distincta, idè quod ad veritatem hujus dicti, distinctio rationis seu virtualis sufficit. Addo quod, etsi materia totalis Sacramenti matrimonij copulationis sumpta, & forma item totalis simul sumpta, ad invicem comparata, non distinguantur realiter; si tamen unâquæque materia partialis divisim accipiat, distinguitur realiter à forma partiali quâ perficitur; verba enim conjugis exprimentia traditionem proprii corporis, quæ habent rationem materiæ, distinguuntur realiter à verbis alterius quibus talem traditionem acceptat, & quæ se habent ad modum formæ.

Ad illud quod subditur de ministris hujus Sacramenti, dicendum est, nullum esse inconveniens, quod in hoc Sacramento causa materialis & efficiens coincident in eisdem personis; id enim exigit natura contractus, in quo contrahentes se ipsos tradunt, ut constat exemplo illius qui se in servum alicui venderet, idem enim simul esset vendens & res vendita, subindeque illius contractus causa efficiens & materialis. Idem cum proportionem dicendum est de conjugibus contractum & Sacramentum matrimonij celebrantibus, habet enim secundum diversos respectus simul rationem causæ efficientis & materialis talis contractus & Sacramenti.

## DISPUTATIO III.

### De Sponsalibus.

#### Ad questionem 43. Supplementi.

Cum sponsalia maximam cum matrimonio connexionem habeant; & sint veluti inchoatio futuri matrimonij, & dispositio moralis ad illud, merito S. Doctor, postquam de matrimonio in ratione contractus & Sacramenti considerato disseruit, agit de sponsalibus; de quibus etiam tractat jus civile toto ff. & cap. de sponsalibus, & Canonicum tit. de sponsalibus, in 6. De illis etiam breviter in hac disputatione disseremus, earumque naturam, obligationem, personarum habilitatem, & causas quibus dissolvuntur, examinabimus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### Quid sint sponsalia, & quænam ad illorum valorem requirantur.

Sponsalia à spondendo dicta sunt, èd quod mos fuit veteribus stipulare & sponderi sibi uxores futuras, ut ait Ulpianus lib. 2. ff. de sponsalibus, eaque sponsio fiebat olim non ab illa quæ in uxorem ducenda erat, sed ab ejus patre, vel tutore, aut alio qui eam daturus erat, qui idcirco sponsor dicebatur, nuptura verò sponsa, & vir puellam ducturus, sponsus appellabatur. Hujus consuetudinis seu sponsionis ratio assignatur in jure, can. Institutum 23. qu. 2. ubi dicitur hanc esse consuetudinem, ut jam pactæ sponsæ, non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatare. Quod enim quis non diligit, nec optat, facile contemnit, ut habetur can. presens 20. quæst. 3.

Porro sponsaliorum nomen variis rebus accommodari solet. In primis enim interdum contractus matrimonij, per verba de presenti, & matrimonium nondum consummatum, dicitur sponsalia, & ipsi conjuges, qui de presenti contraxerunt, nondum tamen carnaliter se cognoverunt, appellantur sponsi. Ita sumitur Luca 2. ubi dicitur Maria fuisse Josephi sponsa uxor, & Matt. 1. Cum esset desponsata mater Iesu Maria Joseph. Et hæc acceptio in lingua Gallica familiaris est, ejusque rationem reddit D. Thomas hic ar. 1. ad 6. quia nimirum qui matrimonium per verba de presenti contrahit, futurum matrimonij actum spondet: sicut qui per verba de futuro sponsalia celebrat, ipsum matrimonium futurum promittit. Secundo nomen illud quod à sponso sponsæ dari solent ad ornatum illius, quæ jocalia communiter dicuntur sponsalia etiam vocari solent. Quo sensu intelligendum est illud i. Regum 18. Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum. Eodemque sensu dicitur i. T. Cod. si nuptia ex rescripto petantur, sponsalia, hoc est verbarum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum statuta pœna deposcunt. Tertio tandem sumitur magis propriè nomen sponsaliorum, pro futuri matrimonij promissione, in quo sensu definiuntur sponsalia cap. Nostres 30. qu. 5. & l. 1. ff. de sponsalibus, futurarum nuptiarum promissio. Dicitur; futurarum nuptiarum, ut sponsalia distinguantur à matrimonio, qui contractus est per verba de presenti expressus; sponsalia autem contrahuntur per verba de futuro; ut accipiam te in uxorem, accipiam te in virtum. Dicitur promissio, quia ad sponsalia non sufficit propositum aut simplex voluntas, cum illa non sufficiat ad inducendam obligationem, sed requiritur necessariò promissio, seu voluntas se obligandi, quæ mutua ex parte utriusque contrahentis esse debet. Unde notanter jurisconsultus usus est voce repromissionis, quæ mutuam promissionem importat: Nam sicut in matrimonio non sufficit consensus unius, sed requiritur mutua ex parte utriusque: ita nec in sponsalibus, quæ matrimonij inchoatio sunt, sufficit promissio unius, sed utriusque; necessaria est; unde si alter solum accipiet promissionem, sed non repromittat, neuter obligatur vi sponsalium, an verò vi simplicis promissionis obligari possit, infra dicemus.

Observandum est autem primò cum D. Tho.

Yyy

ma hic